

nebatur terra <sup>ed</sup> Ippo in quo jacebant infantes, referentibus postea custodibus, regi maledicebant, turpia et crudelia in ejus personam machinantes, eo quod civitatem destruxisset, et eorum patres occidi fecisset. Remota <sup>siquidem</sup> [a] terra a lecto, alia nocte regi benedicebant, omnia prospera ei optantes, eo quod illis duobus pepercisset et bene ficeret <sup>[b]</sup>, parentibus suis et reliquis pro merito passis. Haec eadem expertus est <sup>[c]</sup> rex, quoties <sup>[d]</sup>, illis ignorantibus, de predicta terra eorum inficiebantur subtellares <sup>[e]</sup>. Sic quoque didicerunt omnes Faventinos a terra contrahere fidei constantiam <sup>[f]</sup> et crudelitatis rigorem. Unde factum est quasi proverbium in partibus istis, Faventinos in subtellaribus terram habere, quoties superba et nimium alta minantur. Procedente igitur tempore <sup>[g]</sup> rex Luprandus <sup>[h]</sup> (25) poenitentia ductus, ex mandato Romani Pontificis, civitatem Faventiae, prout potuit, restauravit; cives undique et alios ad habitationem civitatis congregavit; iuvenibus, quos nutriverat, et aliis civibus, quorum patres occiderat, magna praebuit dona; episcopatui concessit forestrum regium <sup>[i]</sup> [A] prope civitatem, quod dicitur Talfaveria <sup>[j]</sup> [B], et aliud magnum forestrum, in quo sunt plebes Sanctae Mariae in Cerreto Licinio <sup>[k]</sup> [C] et Sancti Stephani in cathena <sup>[l]</sup> [D] et Sancti Iohannis in Libba <sup>[m]</sup> [D] et Sancti Petri intra Silvas <sup>[n]</sup> [E] et Sancti Stephani in Barbiano <sup>[P]</sup> [F] et Sanctae Agathae <sup>[G]</sup> [G] et Sancti Petri in Bussito <sup>[I]</sup> [H] <sup>[T]</sup>, et tetendit infra <sup>[m]</sup> Ravennam usque ad Pontem mariuum <sup>[K]</sup>.

C. V. et Cl. Mitt. Sed in C. M. legi etiam potest quia. — [a] Remota <sup>siquidem</sup>. Sic lego. C. M. habet <sup>siquidem</sup>; Cl. Mitt. et C. V. habent, quidem. — [b] Et bene faceret. Sic l. Cl. Mitt. In C. V. et bene fecisset. — [c] Haec eadem expertus est. Sic l. Cl. Mitt. Codices vero V. et A. hoc autem. — [d] quoties. Cod. M. quotiens, et sic semper. — [e] Inficiebantur subtellares. Sic codd.; Cl. Mitt. legit conficiebantur. — [f] Contrahere fidei constantiam. Sic l. Cl. Mitt.; sed in C. M. non est omnino clara lectio. Potest aequa bene legi: sibi: et ita habet C. A. — [g] Procedente igitur tempore, C. A. et Cl. Mitt. In C. V. precedente. — [h] Rex Luprandus. Sic. C. M. pro Luprandus. — [i] Forestrum Regium, C. M. et V. In C. A. Forestrum vulgo Foresta, aut selva. — [j] In Cerreto Licinio, C. M. In Cerreto Lycinio C. A. In Cerreto Licinio legit Cl. Mitt. — [k] Sancti Petri intra Silvas, C. M. et V.; Sancti Petri in Transilva C. A. — [l] Sancti Petri in Bussito. C. M. et V.; Sancti Petri in Eutro C. A. et versio Ital. Gr. Zuccul. — [m] et tetendit infra, Codd.; sed Cl. Mitt. scribit: detendit.

[A] Nunc cultissimus ager ad duo millaria versus meridiem. Vulgo Tagliavera, in schola, ut vocant Marzani.

[B] An est Ceredus lacus, de quo in charta donationis anni 1138 fit mentio apud Rubeum lib. 5, pag. 328?

[C] De plebe Sancti Stephani in Catena territorii Faventini loquitur charta, viii martii 1092, Archiv. Azzurrin. Eumque non procul a Villa Russii, nunc castro, fuisse patet ex alia charta donationis ejusdem Archiv. signata sub die viii nov. mxxxiii. De eadem, ut plebe territorii faventini, meminit charta ann. 900 I. 4342 Archiv. Archiep. Ravenn.

[D] Libba erat curtis comitis Alberici Dompnigalliae. Vide apud Tondut. Chart. ann. 1215.

[E] Sancti Petri intrisylva Territ. Fav. meminit charta 1209 apud Arch. Azzurr. Sancti Petri intra sylvas, plebis in territorio Faventino, fit mentio in charta ann. 1023 F. 2269. Archiv. Archiep. Ravenn. Ecclesia collegiata Bagnacaballi vocatur S. Petri in sylvis Vid. SCALETTA, Notiz. della Dioc. di Faenza, pag. 34.

[F] Nunc villa prope Lugium.

[G] Ecclesia cum pago Faventinae dioecesis, a Lugio septentrionem versus duo millaria circiter dissita.

[H] Charta xi ianuarii, anni 1135, memorat fundum situm in Bressito Territ. Fav. Item charta ann. 984 G. 2446. Archiv. Archiep. Ravenn. ubi dicitur S. Petrus in Brufita.

[I] Pons marinus. Erat vicus in Urbe Ravenna prope S. Michaelis templum, ubi nunc via Foscorum, in qua adhuc quaedam templi cuiusdam reliquiae dicuntur Pons Marinus. Ex Epist. Com. Hippoliti Gamba.